



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Maioris Monasterii, ... sancti Iuliani, & sancti Florentij Abbatibus Turonensis
& Andegavensis diocesum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

Romani Pontificis Lib. X.

II

*.. TYRONENSI ARCHIEPISCOPO
& .. de Oratorio & .. de Chaloccio Abba-
tibus ordinis Cisterciensis Andegavensis
diocesis.*

*Epiſt. 22.
Vt de debitis
per contractum
legitimum de-
bitis tempore
Hilarii quon-
dam Abbatis
Burgulieni con-
querentibus ex-
hiberi faciant
justitiae com-
plementum.*

Cum tibi, frater Archiepiscopi, ac
venerabilibus fratibus nostris ..
Pictaviensi & .. Andegavensi Episcopis
dederimus in mandatis quatinus per ve-
stras denuntiari dioceses faciat utsi qui à
tempore Hilarii quondam Abbatis Burgu-
liensis monasterij debita duxerint ab
eodem monasterio requirenda, vestro se
conspicui reprobant, discretioni ve-
stra per apostolica scripta mandamus
quatinus faciat ab Abbate ac Conventu
monasterij memorati cuiilibet super debiti
conquerenti, usuris cessantibus, justi-
tiae plenitudinem exhiberi, eos qui super
debitis monasterium ipsum aliter prae-
sumpserint infestare, monitione præmis-
sa, sublato appellationis obstaculo, ex-
communicationis sententia supponentes.
Quod si non omnes, tu, frater Archie-
episcopi, &c. Datum ut in alia.

*.. TYRONENSI ARCHIEPISCOPO
& .. Pictaviensi & .. Andegavensi Episcopis.*

*Epiſt. 23.
Vt contra in-
cendiatores cu-
jida gran-
gat Hilarii
quondam Ab-
batis Burgu-
liensis proce-
dant.*

Sicut ex parte dilectorum filiorum ..
Abbatis & Conventus Burgulensis
fuit propositum coram nobis, cum qui-
dam filii Belial, complices & fautores
Hilarii ejusdem monasterij quondam
Abbatis, quondam ipsius grangiam igne
apposito concremarint, & monasterium
ipsum non definant contra iustitiam ag-
gravare, ab eodem nihilominus falsa de-
bita exigentes, fraternitati vestra per
apostolica scripta mandamus quatinus
singuli vestrum in diocesibus suis in om-
nes illos qui præfatam grangiam combu-
serunt, vel ad eam comburendam im-
penderunt auxilium vel favorem, aut ob-
tentu ipsius Hilarii dictum monasterium
præsumpserint molestare, vel falsa debiti
exegerint ab eodem, excommunicationis
sententiam, sublato appellationis
obstaculo, solemniter promulgetis, &
faciat eandem usque ad satisfactionem
congruam firmiter observari, per dioce-
ses vestras denuntiari nihilominus facien-
tes utsi qui ab eodem monasterio à tem-
pore ipsius Hilarii debita duxerint requi-
renda, tuo fe, frater Archiepiscopi, &
dilectorum filiorum .. de Oratorio & ..
de Chaloccio Abbatum ordinis Cister-
ciensis Andegavensis diocesis conspectui

Tom. II.

repräsentent, super eo iustitiae plenitu-
dinem recepturi. Datum Laterani XII.
Kal. Aprilis, anno decimo.

*.. ABBATI ET CONVENTVI
Burgulieni.*

*Epiſt. 24.
Vt nonnullos
monachos di-
cti monasterij
complices Hi-
larii quondam
Abbatis dicti
monasterij ca-
stigant & ad
eorum obe-
dientiam advo-
cent, nec per-
mittant mona-
sterium per-
turbare.*

Significarunt nobis dilecti filii H. &
G. monachi vestri quod cū nos
Hilarii quondam Abbatem monasterij
vestri ab administratione ipsius sententialiter
duxerimus amovendum, quidam
monachi complices ejus in vestro mona-
sterio commorantes tibi, fili Abbas, obe-
dientiam & reverentiam debitam dene-
gant exhibere, ac molientes pacem &
unitatem monasterij perturbare, tam
per se quam per alios falsa debita exigere
non verentur. Cum igitur pax & unitas
religioni praebant incrementum, uni-
versitatem vestram monemus & exhorta-
mur attente, per apostolica vobis scripta
mandantes quatinus in unitate ac pace
firmiter persistatis, monachos ipsos qui
super iis vel aliis monasterium ipsum præ-
sumpserint perturbare, auctoritate no-
stra regulariter castigantes. Datum Late-
rani XVI. Kal. Aprilis, anno decimo,

*.. MAIORIS MONASTERIJ, ..
sancti Iuliani, & .. sancti Florentii Ab-
batibus Turonensis & Andegavensis dio-
cesum.*

*Epiſt. 25.
Vt Hilarii
quondam Ab-
batem Burgu-
liensem ad
claustrum sibi
affigatum ad
penitendum
reverti com-
pellant.*

Cum Hilarius quondam Abbas Bur-
gulensis ab administratione ipsius
monasterij a nobis sententialiter exigente
iustitia sit amotus, & ad penitentiam
peragendam in monasterio sancti Iovini
de Marnis eundem praeceperimus com-
morari, praesentium vobis auctoritate præ-
cipiendo mandamus quatinus ipsum ex-
tra claustrum praedictum vagantem in ca-
meris monasteriorum vestrorum vel men-
tis vestris recipere nullatenus præsum-
sis, ne ipsum in sua videamini malitia con-
fovere, repellentes eundem, ut sic ad clau-
strum affigatum sibi ad penitentiam re-
vertatur. Alioquin venerabilibus fratris
bus nostris .. Turonensi Archiepiscopo,
& .. Episcopo Andegavensi & dilecto
filio .. Abbatii de Oratorio Cisterciensis
ordinis Andegavensis diocesis per no-
stras damus litteras in mandatis ut vos ab
hujusmodi præsumptione per censuram
ecclesiasticam appellatione remota com-
pescant. Datum Laterani XIV. Kal.
Aprilis, anno decimo.

B ij